

omnes deum in deum tuum ex toto corde tuo.  
et iustitia tua. rex omnibus iuribus tuis  
et proximum tuum  
Dicit ergo illi. Recte respondit  
fac iustitias. Ille autem uolens iusti-  
ficari dixit ad Iesum. Et quis est  
Iesum? Suspiciens autem Iesus  
Sermo quidam descendebat ab  
in iherosolymis: et incidit in latro-  
nes. Qui etiam despoliauerunt eum: et  
impositis abiierunt semiuuio  
Abiit autem ut sacerdos quidam  
eandem uiam: et uiso illo preter-  
iit et leuita cum esset secus  
uidit eum. pertransiit. Samaritanus  
autem quidam iter faciens uenit  
uidens eum. et motus est.

Ma 397

St. Graec. in Oct. N. 103.

II 2a 168

IOANNIS CASELII

AD GREGORIVM BERS.  
MANVM V. CL.

*J*  
EPISTOLA.

AMICORVM ITEM CAR-  
MINA, MEMORIÆ HEN-  
rici Mensingij, opt. & doctissimi  
mi adolescentis.

R O S T O C H I I

EX OFFICINA AVGVSTINI  
FERRERII.

Anno M. D. LXXX.

Mense Aprili.

F 8

IOHANNES CASTELLII

AD CESSANTIAM BERS

EPISCOPALIS



IN CESSANTIA

IN CESSANTIA

IN CESSANTIA

IN CESSANTIA

GREGORIO BERS  
MANO S. D.

IOANNES CASELIUS.



Edi ad te, Bersmane, nescio  
quid proximè litterarum. Subito enim  
scribendum erat. Ut plurimum enim  
litteras poscere tabellarij solent, quan-  
do velut e' carceribus iamiam excu-  
suri sunt, & pene dixerim auolaturi. Id erat mense  
altero. iam vero mearum rerum haberes vberimum  
interpretem, Henricum Mensingium nostrum, si,  
quod in animo habebat, iamq; ingressus erat iter, per-  
ficere ipsi licuisset. Dederam enim permulta ei in  
mandatis ad te. Cui enim rectius quam familiari?  
ne epistola quidem. Verum id secus accidit, ut nec  
ille nobis potuerit gratificari, & ego tibi tam cognitu  
acerbum, quam scriptu mihi de eo nuncium, ad te  
perscribere necesse habeam. Amisimus namq. ado-  
lescentem carissimum, summum vtriusq; cultorem.  
Valde autem eum amauimus (tuto enim, ut de me, ita  
de te quoq; id affirmare posse mihi videor.) non tam,  
quòd ab eo nos diligenter obseruari intelligeremus,  
etsi neq; hoc nihil causse esset, quando vix cuius-  
quam ea est vel asperitas vel immanitas, ut hunc,  
à quo diligatur, oderit, quàm quod iustas eius aman-  
di eas causas habuimus, quæ apud omnes homines

conciatrices benivolentiae esse solent. Vis enim maxima est probitatis & modestiae in adolescentia, maxime apud spectatos viros: nec mirum, cum saepe etiam vel nefarios hostes in admirationem sui, specus virtutis excitet. Proinde nihil videatur absurdius, quam si nos ea non capiamur, cuius studium profiteri non dubitamus. Quis enim credat, vllum esse sapientiae studium, à virtute separatum, aut remotum? Neq. tamen ignoramus, animi bonorum, quae sit inter ipsa affinitas, quaeq. differentia. Velim autem quae mentis sunt bonis, semper comitari altera, quae consilij morum atq. vitae perhibentur: quod inprimis optavit perpetuo optimus humanae vitae auctor Socrates. Sane & haec & illa admirabilia & diuina sunt. Hinc igitur non sine causa euenit, & aliter fieri non potest, vt boni iudemq. docti viri, (non dico doctissimos, ne me in doctis numerare existimes eos, quibus vulgus & imperiti veluti sceptrum & diadema sapientiae deferunt) & sancta quadam coniuuratione, respiciente veritatem & utilitatem publicam, se inter se sincerè colant, & virtutis bonaeq. doctrinae deditos sincerè ament. Non iam persequar, quae nobis inter nos velimus & debeamus: quos profecto certis vestigijs ad probitatem & litteras ingredi videmus, eos sine dubitatione, vti dixi, amamus: omnibus nostris opibus iuuandos statuimus: erudiendo, monendo, cohortando, quacumq. alia ratione: procurrentibus in spatio gratulamur: si quid ipsorum honestis obstet conatibus, conamur amoliri: etiam

etiam ipsorum infelicitatem dolemus, vt liberorum.  
Talem te esse erga tuos alumnos non dubito: me ta-  
lem fuisse erga meos, à multis iam annis ipse mihi  
testis sum apud me locuples: neq. desunt tamen, qui  
meum erga se animum, ceteraq. beneficia prædicent.  
Cum autem æquè amicissimè fuerimus affecti erga  
Henricum Mensingium, parem dolorem ex ipsius  
casu capimus. Præmaturè nobis ereptus est, sed  
multo magis studijs opt. artium, id est vtilitati pub-  
licæ. Si enim vllus ordo seruit communi vitæ ho-  
minum; hic certè noster est. Nemo enim est nostri  
ordinis reuera, quin & quibus cum vitam agit &  
longè etiam dissitis plurimis, & præsentì seculo, &  
posteritati etiam seruiat egregiè: quod fortasse neq.  
vulgo in vniuersum, neq. multis regibus persuase-  
rimus: nos tamen hoc intelligere, nostra interest,  
vt pulchritudine nostræ vitæ generis confirmati,  
vt negligamur, vt premamur, vt rideamur, locum  
in acie non deseramus, sed omnem barbariem, eiusq.  
socias aut gemellas sorores, inscitiam, malitiam, &  
quicquid incommodat rectæ rationi vitæ, sedulo pro-  
fligare pergamus. Sed redeo ad Mensingium, qui  
quoniam occasionem mihi dedit ad scribendum, non  
indulgebo dolori, neq. id faciam, quod nostræ litteræ  
prohibent, vt me frustra animi angam: sed in multis  
malis hoc quoq. feram, & ratione medebor huic  
quamuis recenti plagæ, ad ea conuertens animum,  
quibus & ipse animus alitur maximè, & homo non  
euertitur. Neq. ille velit, nos aliter hic nos gerere:

non nolit autem de se nos dicere, quæ cum vera sint,  
tum nostrum erga ipsum amorem testentur: neq;  
hoc improbet, qui ex huius epistolæ lectione fructum  
aliquem capiat, & vel exemplo vel doctrina animo  
informetur: neq. te pigeat, quæ maximam partem  
noueris, recognoscere, & mecum tacitè considerare,  
qua re si nunc voluptatis nihil parare nobis pos-  
sumus, minuemus tamen molestiam. Sed in cæteris  
non exspectas, vt de ijs bonis Mensingij multum ver-  
borum faciam, quæ fortunæ potius, non ipsius pro-  
pria fuerint. Sed neq. tamen quid habuit plebeium  
in animo, neq. à maioribus. Primum enim vtraq.  
ipsius patria est adprimè nobilis. Duas enim po-  
terat legitimè agnoscere: vnã vbi ipse esset in lu-  
cem editus, hanc ciuitatem, in qua mihi viuere satis  
commodum est, celebrem & negotiatorum frequen-  
tia & doctrinæ studijs: alteram, nobilissimum huius  
oræ maritimæ emporium, & principem ciuitatum  
ad mare versus boream confæderatarum Lubecam,  
quæ nomine *ευνομια* & apud longinquas gentes  
bene audit, & ab acribus vitæ hominum censoribus  
magnopere prædicatur. In ea eius proauus Ber-  
nardus Bomauerus, equitis aurati dignitate præ-  
stans, quæ illo seculo propterea magna erat, quod  
non nisi fortissimis viris & bene meritis de patria  
tribueretur, & consulatum cum laude gessit, & quo  
tempore Lubecenses regnum Suecorum occuparant,  
cum imperio arcem Stockholmiã tenuit. Huic ne-  
pos ex filia natus & ipse Lubecæ est Bernardus  
Mensin-



Mensingius, qui cum esset in inclyta illa ciuitate apud honestissimos homines liberaliter educatus, & liberalibus disciplinis expoliri ceptus; iisdem se totum dedit, tantumq; in studijs sapientiae profecit, vt bonas litteras de auctoritate senatus nostrae recip. in hac academia publicè docuerit, etiamnum superstes, cum ipse primum huc venirem. Hoc patre, homine doctissimo, & matre femina primaria, filia huius reip. consulis, Henricus natus est. Sed mihi hoc felicior videtur fuisse, non tam quod istis parentibus, quod tamen neq; ipse leue esse duco, quando raro humillima in altum ad veram dignitatem euehantur, quàm quòd inter Musas & natus primum & subito educatus fuit. Erant enim ei & alij propinqui viri litteris clari, primum auunculus Henricus Varenius, qui & ipse doctrinas mathematicas dictas, in eadem hac nostra academia docet, & materteræ maritus Augustinus Ratca, iurisconsultus, de quibus vt de amicis, & vicinis, illo quoq; collega parcius loquor. Neq. enim homines ab omni arrogancia remoti, aliud volunt: neq; meum est, videri velle audientium aliquid auribus dare. Cum autem puer admodum, ita tamen tingi ceptus litteris ab vltima infantia, patrem amisisset; partim naturam suam, partim exemplum parentis, partim voluntatem propinquorum secutus, totum se illis libenter addixit. Tutorum etiam auctoritas apud adolescentem plurimum, vti debuit, valuit, primum auunculi, qui ipse in litteris omnem ætatem ageret,

A 4

deinde

deinde Balthasaris Gulij, consulis, & Andreae Ma-  
sonis, senatoris, quos ego homines ordinis amplissimi  
magni facio, uti par est, tum ob humanitatem &  
singularem erga me benevolentiam, tum ob bonarum  
litterarum scientiam, quibus in hac potissimum aca-  
demia, id quod æquissima voluntate præ se ferunt,  
atq; iccirco cum nostro ordine sunt conuinctissimi,  
animos suos præclare excoluerunt antè, quàm ad  
remp. accederent. Itaq; ipsorum & usus maior  
est in ciuitate & dignitas. Quam autem & hi &  
amici ceteri, de pueri ingenio spem conceperant;  
eam indices magis confirmavit, cum omnibus mode-  
stiam in moribus probaret, & in vtraq. lingua mul-  
tum proficeret: atq. ipsi tum commodum fuit Lu-  
becæ discere ex optimo magistro Iobo Magdeburgo.  
Æqualium nemo adolescentulum superavit, æqua-  
uere pauci: id quod mihi ex ipsius condiscipulis ip-  
sismet retulerunt. Postquam autem & in illa schola,  
& in hac academia bonæ doctrinæ initia quædam  
accepit; cepit ille statim non adumbratæ alicuius  
scientiæ cupiditate flagrare. Cum enim à nobis mo-  
neretur, non esse illas veras litteras, quibus hodie  
satis multi ostentatores se pro sapientibus in vul-  
gus venditant; facile manus dedit, & subito cre-  
didit, se, etsi iam didicisset illa bonarum artium ele-  
menta, manibus iam trita omnium, vixdum tamen  
bonas litteras primoribus, quod aiunt, labris deli-  
basse: quæ teneret, habebat, ut erant, pro puerilibus:  
quæ videret veteri illo & à philosophis in perpe-  
tuum

tuum repudiato, sophistico more in speciem proponi;  
ea negligebat & procul à se abiciebat. *Quaedam*  
enim pestis, vti scis, in Gallia, nobis pueris, inuasit  
in bonas litteras, non inelegans primo aspectu, insci-  
tia tamen patrona, mater ignauia, veritatis negli-  
gens, iactatrix dementis cuiusdam sapientiae: ea  
quod sciam, Alpes non transiit: neq. enim illas in-  
eptias animaduertimus in Italia: sed ex agro Galli-  
co serpsit per Germaniam, & scholas, in quibus pue-  
ri instituuntur, infecit sane multas, è quibus ad nos  
sæpe scioli veniunt, loquaci inscitia satis armati, vbi  
primum dicendi occasionem arripuerint: quod equi-  
dem doleo, sed magis doleo, quam dico peruersam  
rationem, in regias etiam scholas vel irrepere vel  
irruere. Vide quid non ausit impudentia; etsi non  
nulla est etiam, nostrane, an quorandam nostri or-  
dinis culpa? qui illam auctoritate nostra non serio  
semperq. coerceamus: neq. tamen non video, aliam  
& multa importuniorum & potentiorum nobis obsi-  
stere, quae denuo nouum barbariae imperium molitur.  
Sed ne à Mensingio euager longius: ille nequaquam  
in foribus impingens, neq. aut iudicio aut cupiditate  
alucinans, statim se ad viros doctos contulit, à quibus  
ad bene beateq. in societate mortali viuendum, quod  
non temere pollicetur philosophia, rectè erudiretur.  
Delegerat autem sibi virum grauem, eundemq. do-  
ctissimum, Nathanem Chytraum, vnum ex meis  
intimis, amicum vero etiam tuum, ad cuius iudicium  
& mores conformaret, & porro inchoata studia di-  
rigeret.

rigeret. Eius quoq. domi sponte viuebat, vt admonitionem expetere, obiurgationem etiam non refugere videretur. Quid igitur mirum, si multum, si breui, eo ingenio adolescens, ea cupiditate, eo studio, illo duce, proficeret? praesertim cum fere quotidie in scribendo exerceretur. Iam tum autem & solutam numeris, & ligatam orationem ita egregie componebat, vt & subito aetatem istam, & se indies superaret. Multum faciebat ad eam rem, quod plebeiarum vclutiq; tabernariarum scriptio- num nihil attingeret, versaret autem sedulo omnes Romanos aureae illius aetatis scriptores: neq. eos percurreret, vt fit, sed consideraret, vt eorum mentem plenius intelligeret: quod quo facilius consequeretur; tum quod ipsum fugeret, vel ex aequalibus vel ex hominibus doctis sciscitabatur, tum interpretes, quos probari nobis intelligebat, simul legebat. Persequendas vero etiam sibi Graecas litteras putabat, & cognoscendos illos perennes fontes sapientiae. Graeca igitur monumenta quae poterat, legebat per se: alia audiebat cum priuatim, tum publicae explicari: deniq. cum scriptores, optimos illos quidem, sed ad intelligendum non cuius faciles, (in ijs erat proxime Lyricorum ille princeps Pindarus) communi studio cognosceremus, homines aliquot eruditi, vno interpretandi molestiam suscipiente, ceteris nihilominus suas cogitationes ad sententiam, e qua vnus alterue haud facile emergeret, confirmantibus; impetrauit ipse quoq. a nobis facile cum perpauca pre-

præclari ingenij & acris studiij adolescentibus, ut  
vna interesset nostris illis scholis singularibus, frue-  
returq; nobiscum vna dulcissimis animi epulis. Non  
n. in philosophum ordinem cadit, vel cum paribus  
non cōmunicare de litteris, vel minoribus earū com-  
municationem inuidere: vtrumq; sophistarum propri-  
um esse existimetur; & cōmodis suis & falsæ aucto-  
ritati cōsulētū, nō veritati & societati mortaliū. Cete-  
rū cōtenti sūt pleriq; hac eruditione, ut tincti leuiter  
ceteris scientijs, animos lectione poematū, orationum,  
historiarum in perpetuam oblectent, & se ad vitam  
ciuilem instruant egregie, inq; ea rectè colenda mi-  
rificè confirment. Utinam nemo vel regnum gu-  
bernet, vel aliquod in resp: munus gerat, nisi vel  
hisce tantum studijs, sane tam iucundis quàm vtilibus,  
& imbutus &, quod per negotia liceat, in perpetuum  
occupatus. Tanti ego hæc facio, & pluris adeo quam  
multa, ijs quaestuosiora, etsi hæc sola fere nunc in pre-  
cio sunt. Quamquam igitur illis quoq; mirificè hic  
adolescens caperetur, eaq; coleret summa diligentia,  
neq; vnumquam, quoad viueret, abiicienda aut sepo-  
nenda putaret: tamen in ijs tantum pedem sibi fi-  
gendum non putabat, sed ad subtiliores, sublimiores,  
& diuiniore quoq; scientias, tum naturæ præstantia,  
tum iudicij bonitate rapiebatur, à quibus tamen  
multi ingenij imbecillitate, vel impatientia laboris  
fugiunt, alij deterrentur magnitudine & difficultate  
ipsius operis: quod tantum est, quanti summum o-  
mnium bonorum, quæ homines nostræ operam nobis  
compa-

comparare possumus, aestimari debet. Quod si rem ipsam assequi numquam possis; nonne hic animus omni laude dignus esse videatur? necesse est enim eum esse non vilem, qui despiciat quaecumque sunt in fortunæ potestate posita: contra diuinum esse, qui vera bona in bonis sola ponat, omnesque nervos intendat ad ea consequenda. Non igitur abs re adolescentem nostrum, etiam exemptum rebus humanis, amore prosequimur: quem ego erga illum ostendere alia ratione non possum, quam si non tibi, etsi ad te potissimum scribens, sed alijs adolescentibus, liberalium artium studiosis, illius mentem consiliumque exposuero, ut institui. Et enim ille verae laudis præmijsque suorum laborum expers non erit, & hi habebunt exemplum nobile, quod imitentur. Exemplorum etenim quæ proba sunt, rectè etiam pro regulis habebimus, quando nisi vel cum his convenirent, vel ad ea proxime accederent, proba nequaquam existimarentur. Sed quo me abripit scriptio- nis quasi æstus? volui esse non ita longus: & quamquam plura etiam scripsi, quàm volebam initio, tamen non possum inchoata præcidere, & tu meæ verbositati veniam dabis, præsertim ex amissi adolescentis desiderio nata. Ut multos ego vidi, neque tu forte pauciores, qui doctores vel non audiendos putarent, sibi met se satis idoneos magistros fore rati, vel non audirent sedulo, freti ingenio, vel quosuis audirent, siue eos certe, quibus alios operam dare cernerent, nullo usi consilio in rebus suis. Contra

Mensin-

Mensingius, & rectè putabat, in scientijs esse, quas sine diserto interprete ne ingeniosissimus quidem perdidicerit, neq. illum audiendum oscitanter, quod si quem, quæ præmitti necesse esse, fugissent, is intelligentiam sequentium numquam adipisceretur: videbat deinde quæ ex quo rectissime, quo item & tempore & ordine acciperet. Itaq; ceteris non quidem contemptis, tamen præ alijs, vt dixi, Nathanem sibi sumpsit, me quoq. audiuit, sed diligentissime Henricum Bruceum logica, geographica, astronomica, physica, cum luculenta suauitate diuinitus explicantem. Est enim hic vir multiplicis bonæ doctrinæ copia instructus, & reconditis litteris præditus, præter artis medicæ peritiâ, in qua quantum excellat, in meo ipsius corpore sæpius experior, quàm me amici experiri velint: sed tamen secundum est, si non semper firmiter valeas, sarcire valetudinis ruinas utcumq; posse: quiq; in ea re nobis seruiat, magis etiam videatur colendus, quam Æsculapius. De eo, ne videar plusculum amicitie largiri, etsi hic locus postulabat, non dicam amplius, ne etiam ipsi molestus sim, qui intra modum malit prædicari, licet eum numquam satis laudauero. Quod etiam tuam disciplinam non aspernatus sit, tute scis, & ego gaudeo, cum quod eo homine vsus est, qui principe loco summa cum laude elegantiores litteras, quæ humanitatis appellatione hodie merito celebrantur, in academia vestra doceas, tum quod idem statuimus de hisce, quas dixi litteris, earumq; innocentiam iun-

Etissimis

doctissimis animis aduersus ingruentem barbariem  
fortiter propulsamus. Sub huius enim bellæ si-  
gnis militant multi, qui exuuijs doctrinæ amicti, sibi  
dominatum & opes passim parant. Quantum vero  
res vmbrae, veritas opinioni præstat, tanto maiore  
laude dignus est, qui esse doctus, quàm credi cupiat.  
Cum autem hic adolescens ad sapientiam non adum-  
bratam contenderet, ita se in hoc præclaro suo insti-  
tuto gessit: verum haud scio, an ex ijs, quæ dixi, eius  
animus ita patuerit, vt ex hoc vno, quod toto animo  
se ad Aristotelis, summi illius & optimi omnium do-  
ctissimorum præceptoris, monumenta cognoscenda  
conferebat. Hoc enim qui serio & constanter fa-  
ciat, eum posthabere omnia studio sapientiæ credi-  
bile est. Quascumq. poterat opes, huc sibi compa-  
rabat: propterea cum eruditis æqualibus studia sua  
quotidie communicabat: doctores, quos dixi, omni  
attentione audiebat: interpretes summi magistri,  
quos nactus erat, legebat: quos non habebat, inqui-  
rebat vndiq;: etiam eos, qui inquinatius scripserant,  
vt quamuis politæ orationis semper fuisset studio-  
sissimus, tamen non sermonis solum elegantia capi,  
sed multo maximè cum optimarum scientiarum stu-  
dio teneri constaret. Cum autem eius aliquando accu-  
ratè & pereruditè scriptam epistolam legissem; de  
ipso optimè ominari cepi, & futurum aliquando in  
doctissimis Germania hominibus dicere non fui ve-  
rius, si eum fata superesse nobis sinerent: neq; hæc  
diuinitio, quod post magis sensi, me fefellisset, nisi  
è medio



ē medio hoc cursu eum eripuisset fati violentia. In  
philosophiæ studijs vitam transigere decreuerat: &  
se præterea, de consilio potissimum meo, arti medicæ  
dedere, quo & suæ valetudinis, quæ non firma admo-  
dum esse videretur, rationem hoc magis & rectius  
haberet. Hæc agens, hæc meditans, vixit vitam suo  
loco, ordine, ætate dignam: quæ vita si ipsi breuis con-  
tingit, melior fuit, multis in ignauia, somno, turpi vo-  
luptate, luxu, & simili vitiorum genere actis seculis.  
Namq. multo magis refert bene vixisse, quam diu-  
quin sapientes ne quidem eos vixisse arbitratos acce-  
pimus, qui bene recteq. vitam non instituissent, etiam si  
omnibus fortunæ bonis cumulati, omnes cupiditates  
expleuissent suas. Non queram in hoc luctu con-  
solationum aliquid, quæ nobis in promptu esse per-  
petuo debent: & propterea hoc minus faciam, ne  
meam inopiam tibi ostentare velle videar. abundas  
enim ipse hoc genere. Si quis dolor est, noster est,  
& nostra causa, & iccirco maxime moderandus.  
Non enim male cum ijs agitur, qui cum bene vixis-  
sent, vel paucos annos, vel longam ætatem, quæ ta-  
men breuis esse censetur, quoniam finem habet ali-  
quem, ex incommodis vitæ mortalium, maxime huius  
tempestatis, quæ vel solo futurarum calamitatum  
metu misera est, eripiuntur: immò optime agitur,  
quorum animi ad beatorum sedes migrant, quo o-  
mnes, vt Christianæ pietatis oraculis edocti sumus,  
suspirare debemus. Sed cum plura scripserim, quàm  
ad te debuerim, multa, quæ non debuerim; iterum ro-

go, ut huic meo errori, quem in te amarem, veniam  
des. De alijs rebus, cum crit utriq, commodius: po-  
tissimum autem de communibus litteris, & nostra  
caussa, quo meliores ipsimet euadamus, & publica,  
ut honesto otio perfruantur litterarum beneficio  
plures etiam populi, & posteritatis deniq., cuius  
bonos tam decet habere rationem, quam nostri habue-  
runt ex maioribus nostris viri optimi. Nihil puto  
esse dignius homine, nihil humanitati magis consen-  
taneum: nisi forte, si quid est verae humanitatis, in  
hoc veluti opere, non solum consilio, totum ver-  
situr: quae omnino mea est de hac re sen-  
tentia. Vale. Rostochio. non.

April. CIO ICXXC.

PRORECTOR

PRORECTOR ACADEMIAE  
ROSTOCKIENSIS.

M. IOANNES POSSELIUS.



ANNI erant mense Martio  
tredecim, quando doctissimus  
vir, M. Bernhardus Men-  
singius, collega nobis carissi-  
mus, piæ memoriae, vesperi hora quinta,  
finita lectione sua usitata, domum reuer-  
sus, cum capitis dolores sensisset, repente  
concidit, & subito exstinctus est, cum per  
ætatem diu adhuc scholæ utiliter inserui-  
re potuisset. Huius filius HENRI-  
CVS, summi ingenij adolescens, omni-  
bus nobis adferebat magnam spem singu-  
laris eruditionis, virtutis & industriæ,  
præsertim cum & modestè viueret, & v-  
triusq; linguæ cognitione sibi à puero com-  
parata, non solum in arte dicendi & dis-  
sere.

B

sere.

serendi plurimum profecisset, cuius rei exempla, sicut & artis poetarum, nonnulla viderunt alij, plura alij ex ipso audierunt, sed latissimum etiam ipsius philosophiae campum ingressus fuisset, ut dulcissimis sapientiae fructibus animum perpetuo pasceret, quantumque per ingenij vires posset, exsatiaret: quod testimonium, ab ijs etiam confirmatum, quibuscum vixit familiarius, ej iam libenter impertimus, tum quia tales adolescentes apud nos educari, ex dignitate nostra, & ipsius academiae est, tum ut alios in simili conatu confirmemus, vel ad eiusmodi studiorum ardorem inflammemus. Sed quam fallunt pleraque animos mortalium? Adolescens enim in ipso flore aetatis, etiam mense Martio, & quidem in itinere, cum in academiam Lipsensem discendi causa profecturus esset, quo die primum pedem e porta urbis huius extulerat, in morbum incidit: neque ex eo conualuit, sed

sed quatruiduo post Gustrouij exstinctus,  
eiusq; corpus, vt ipsi morituro placuerat,  
huc reuectum est. Hi casus tam graues,  
quam inexpectati (etsi quid non expecta-  
re miseriarum in hac mortali conditione  
possumus?) nos commonefaciant de breui-  
tate & inconstantia vite nostrae, cum &  
cuius accidere possit, cuiquam quod acci-  
dit, & mors cuiuscumq; loci & etatis homi-  
nibus in singulas horas & momenta immi-  
neat, ac propter vite breuitatem, & veluti  
volucrum decursum, nunquam longè possit  
abesse: incutiant etiam nobis timorem  
haec & similia exempla, vt abiecta omni  
securitate, superbia, & cyclopica ferita-  
te, modestius de nobis sentiamus, tempe-  
rantius viuamus, & integritate vite, assi-  
dua sacrarum litterarum meditatione, ar-  
denti precatione, & crebro vsu cænae Do-  
mini, nos ad cælestem migrationem præpa-  
remus, cum nihil ea nobis accidere possit

B 2      bea.

beatius, superante extremi humanorum  
malorum mortis acerbisatem. De hoc pie-  
tatis & modestie studio, etiam admoneat  
nos hodiernus dies, quo Ecclesia DE I  
celebrat memoriam passionis filij Dei, pro  
nobis crucifixi, in qua simul & horrendam  
iram Dei aduersus nostram immunditiam,  
& immensam misericordiam Christi erga  
genus humanum conspiciamus. Adiunga-  
mus igitur nostros gemitus, vota & gra-  
tam predicationem ad omnium temporum  
Ecclesiam, & nostra modestia ostenda-  
mus, nos affici tantis rebus, & versari in  
earum pia meditatione. Funus autem  
fiet Henrico Mensingio, hora prima, illo  
ipso tempore, quo Christo in ara crucis  
pendente, & sentiente omnium homi-  
num peccata, in se deriuata, sibiq; imposi-  
ta esse, tenebrae factae sunt super totam  
terram. Hac eadem hora alter latro re-  
citauit precationem, **MEMENTO**  
Mei

MEI DOMINE CVM VE-  
NERIS IN REGNUM TV-  
VM. Hec, illo ipso funeris tempore  
cogitanda sunt, ad quod professores &  
scholasticos conuenire volumus, vt pia con-  
suetudo honestè sepeliendi mortuos, qui in  
domino moriuntur, conseruetur; introdu-  
cta, vt in tali conuentu, hominibus de pec-  
cato, de morte, de beneficys Christi, de  
resurrectione mortuorum, pijs optata ac læ-  
ta, impijs vero terribili, cogitandi, & suam  
vitam DEO pijs precibus commendan-  
di, occasio præbeatur. Kal. April.  
Anno CIO. IO. XXC.

B 3

ME

MEMORIAE  
HENRICI MENSINGII  
CARMINA AMICORVM

Ὁ, πῆ νεῖθ δρῶν κάλλισον, τῆτόγε καὶ σὺ  
ὦ μενσιγιάδῃ, πάντοτε πᾶν ἐπόνει.  
καὶ γὰρ ἀεργείῃ, ὑπνωτε, τρυφήτε μάλ' ἀιχρῶς  
ἀυχέρ' ὀμκλικίω εἴασαε ὑβεαλέφῃ:  
ἢ αὐτὸς ἤ μαλακῶν ὀλιγωρήσασκες, ὑποςὰς  
λίαν εὐφυέως, μόχθον ἐλευθέριον,  
ἑμείρων, ἐνὶ τοῖσ κλέθ' ἐσίῃ ὀλβῶν ἀπῆμων,  
νημερτῶς σοφίης θεσπεσίης ἢ ἀρετῆς.  
οὐκ ἄρα ἤ πολλῶν εἰς ἡσθ', ἐξῆκε, μετ' ἀνδρῶν  
τῆς εὐδαιμονίης τραχὺν ἀρ' ὄϊμον ἰῶν  
νῦν δέσεῃ μᾶλλον μακαρίζομεν, ὅτῃ σε τοῖον  
πῖσον ἀθηναίης γοργοφόνοιο λάτριν  
εἰχομλυ: εἶγε ἢ οὐκέτι νῦν θνητοῖσιν ὀμιλεῖς  
μύσας εὐρυβίω κάρτεϊ κοινοδίκῃ,  
νῶγε νοῶν τις ἄνω ἠγήσατο σεῖο, τελείας  
ἰδμοσύνης εἰς αἰῶν' ἀπολαυσομένω.

Ἰωάννης Κασήλιος:

Ergo



**E**rgo etiam è cursu ad Musas & Apollinis arces  
Egregios animi mors iuuenes retrahit!  
Iniectaq; manu crudelibus occulit umbris,  
Phæbo ipsi sacros Pieridumq; choro!  
Id certè interitus nimis heu Mensingus acerbo  
Edocet, & cautum quemlibet esse iubet.  
Nam via virtutis si non imperuia morti est;  
Sunt metuenda alijs quanta pericla vjs?

## NATHAN CHYTRÆVS.

---

**E**rgo immaturum, Mensingi, immitia fata  
Exodium vitæ deproperasse tuæ!  
Nec tibi tam sanctè quidquam coluisse Camænas  
Profuit, & rectam laudis inisse viam:  
Quæq. oris probitas semper comes ibat eunti,  
Blandaq. composito gratia ponè gradu.  
Crudeles Musæ (nam quî benè dicere possim?)  
Hæccine sunt vestris præmia digna choris?  
Hæccine erat tanto merces sudore parata?  
In cursu vt subitò concideret medio.  
At vos æternum dicunt dare vatib. æuum:  
Æuum hoc heu tali nempe petendum obitu.  
Sic tener ætatis cecidisti in vere Properti,  
Et Valeri, & Nemesis cura Tibulle tuæ.  
Ipse Melesigenes vatum pater optimus, ipse  
Virgilius iustum est mortuus ante diem.

*Si, nisi, Castalides, illorum exempla secutus,  
Non ego vester ero, non ego vester ero.  
Non mihi tanti ederis redimiri aut virgine lauru,  
Non tanti in doctorum ore habitare virum:  
Ut mox, in medijs conatibus interceptus,  
Intempestiuo defleat interitu.  
Obscuro potius placidam mihi fata senectam  
Ventosa tribuant ambitione procul,  
Et curis procul; Aonijs quæ montis alumnos  
Urgent adsiduo nocte die studio:  
Ut te care puer; quem sidera despexere  
Et rediens primo sol vigilare die,  
Dum penitus rerum naturam viuida tentat  
Vis animi cæcis eruere è tenebris,  
Et dulces, mira succensa cupidine, Musas  
Læta adiens numeris pascitur innumeris.  
Interea abrumpit crescentia stamina Morta,  
Ab dolor l' ingenijs inuida Morta bonis.  
At tu iussus obis, frustra tanta indole, frustra  
Et probitate ista præditus & studio.  
Una tamen superant etiam solatia: vixti,  
Dum concesserunt aspera fata, benè.  
Et quidquid vitæ heic miseri traducimus, eius  
Usum fructum omnem qui benè vixit habet.  
Non te bruta Venus, non desidiosus Iacchus  
Illicibus ductum detinuere dolis.  
Musa tibi cordi, & rerum pulcherrima virtus,  
Et pietas semper relligiosa fuit.*

*Hinc*

Hinc tibi parva quies, quæ fortunata piorum  
Exsilia Elysijs concelebrantur agris.  
Nec te, si quidquam possunt mea carmina, cana  
Posteritas sero tempore nulla leget:  
Verum aliquis voluens lugubria scripta nepotum,  
Sæpe dabit cineri lenia vota tuo.  
Tu gaude officio hoc, si iam mortalia curas,  
Sancta anima, & salve perpetuum, atque vale.

## IANVS GVLIELMVS.

---

Occidit, in quo me felicem rebar, amicus  
Corculum, & ipse suæ flos iuuenum patriæ,  
Quem Phœbus simul, & natæ genetrice Moneta,  
Uno eodemq; omnes deperiêre modo,  
Qui Phœbum contra impensè, Musasq; colebat:  
Optimus is cultu nam perhibetur amor.  
Et quis adhuc siccis ea fata reponit ocellis?  
Quis me sublata nolit amicitia  
Et tantæ Aonidum cladis meminisse? nisi is quæ  
Damna decusq; vno condit habetq; loco.  
Nullæ diuidiæ sic sunt, vt amoris, acerbæ,  
Si penitus quis dilexit, & ex animo:  
Nulla nocent tantis facta impia detrimentis,  
Quam sæuæ in Musas si qua licent Atropo.  
Ergo ego perpetuis tam tristia fata querelis  
Aut doleam aut merito dicar amasse minus:

Hoc equidem haud dici optarim: nam dii mihi testet;  
Ut mi erat is vita carior atq; oculis.  
Non adeo quod utroq; fuit, quæ maxima certe  
Laws in amore omni est, consule natus auo,  
Nec quod erat Sophiæ mystes, nostrumq; Lyceum  
Illius eruditæ Pallados arte pater:  
Sed quoniam eximias diuino in pectore dotes  
Attonitus longo tempore suspicerem,  
Quando communes exercebamus opellas  
Musarum à teneris vnguibus ad studia,  
Isq; oculos iuuenum in se iam conuerterat omnes  
Eq; alijs doctorum ora diserta locis:  
Nempe ea caussa fuit iusti mihi semper amoris,  
Digna vel vna omnes iungere amicitias:  
Huius Mensingi solum de nomine fata  
Si querar, officium dicar obisse meum.  
Cætera, cui meritas operoso carmine laudes  
Texere crit, melius viderit, & celebret;  
Non ideo fidis toties iteranda ab amicis,  
Ne nouus ex veteri vulnere luctus eat.

ALBERTVS CLAMPIVS.

---

AH: flos immiti Mortæ contusus aratro  
Quam cito formosas perdidit ille comas.  
Qualis Musarum in sacris vix nascitur hortis  
Flos fragrans, patriæ gymnasiq; decus.

Ab

*Ab Mensingus hic est Musis dilectus, & illis  
Quæis Musæ solæ deliciae esse solent:  
Qui docto & claro patre natus in vrbe rosarum  
Ingenio studuit clarior esse suo.  
Non tamen huic Musæ lucem inuidere, sed, ab me,  
Inuidit Parcis de tribus vna soror;  
Quæ quia nesciuit calathos hunc colligi in illos,  
In quibus ingenij stat sine morte decus,  
Tantum est ausa nefas; sed spe frustrata, gemit nunc  
Diuino hunc adeo flosculum honore frui.  
Fama etenim est Musas lepidas formare corollas  
Atq; suos flores colligere in calathos,  
Non quosuis tamen: at fragrantés & bene-olentes  
Qui recreant festas diuite odore Deas:  
Hunc voluere illæ, contemtis floribus istis,  
Qui nec odore valent, quiq; colore carent.  
Ergo Musarum ornabis Mensinge corollas  
Et tua ab exequijs gloria maior erit.*

*HENRICVS NORTHMEIER.*

*F I N I S*

---

*IOAN.*

# IOANNES CASELIUS

S. D.

IOANNI CORFINIO.

**H**ERI iterum abs te litteras mihi mater tua reddidit: facis, ut te decet, quodq; mihi de te pollicebar olim. Amas namq; à quibus amari te credis, & modis omnibus animum gratum erga eos declaras, à quibus te aliquid beneficij accepisse iudicas. Hac re facis, non solum, ut veræ virtutis nomen, quàm optimarum disciplinarum te acrem esse cultorem videamus, sed etiam in dies habeamus cariorem, nouasq; subinde omnibus in rebus tibi gratificandi rationes vltro ineamus. Spero autem etiam prorsus aliquando futurum, ut ex hac tua erga nos pietate pleniores fructus capias: quod antè quam fiat, ipse non conquiescam: eo etiam sunt animo viri præstantes, quibus hic non paucis vtebare satis familiariter. Omnibus autem ita tuum in nos studium probasti, ut nihil desideremus: mihi hoc magis, ut te reprehendam, qui modum eius non seruaris. Quid enim sumptum facis, ut, quæ istic sint, nobiscum communices? Hic in te requiro parsimoniam. longè abes à patria: arculam matris penes te non habes: & sunt in illis quædam (cur enim dissimulem?) non mei stomachi, coctuq; difficiliora, illis durissimis piscibus, qui huc ab vltimo vsq; borea aduehun-

uehantur. Indignor enim, & cunctos mecum bonos indignari necesse est, quoties video male fortunatarum scriptio-  
rum virulentiam ne dicam, an inscitiam? Certe enim extrema est inscitia, & plus quam odio digna, cum disputandum sit de re proposita, calumnijs paginas complere & maledictis: οὐδ' ἄν ἕως ἑκατόν & ἄλλοι ἄριστοι: iacere tamquam veneno illita spicula in senes, homines doctissimos, & de nobis, adeoq; de omni posteritate præclare meritos, quos boni ut patres non possunt non reuereri: in eorum cultoribus præcipuis ego nomen profiteor sine omni tergiuersione meum, tibiq; eos colendos omni officio & studio censeo, si honestus esse velis, quod velle te scio, siq; coli aliquando à bonis & ipse desideres, quod à veræ laudis ratione minimè est alienum. An tu sales illos esse putas? quibus nescio quis aspergere conatus est senem illum, de cuius laudum cumulo hac via nihil diruitur, neq; vlla dirui potest, meis aliorumq; prædicationibus nihil adiicitur: ita illæ per se sunt illustres. Quotquot ego intelligentes audiui & bonos, adhorrentes à malevolentia & maledicentia, quibus grauissimis animi morbis nemo vquam bonus laborauit: non solum ætate & eloquentia, sed animo etiam & consilio parem Nelei filio esse iudicant, cuius similes συμφράδ μο-  
væ, uti scis, decem sibi dari exoptabat Agamemnon, illum, ne quidem ipso Achille excepto, antefere-  
ns omnibus. Miror, quid illis veniat in mentem, qui sanctimonia vitæ præluere omnibus, dissentientes  
bonis

bonis rationibus conuincere debebant, vt exemplum  
Aristophanis pessimū sequi malint, quàm eiusdem con-  
silio vti longè optimo. Nosti enim hoc ipsum &  
Platoni mirificè probatum, & à Tullio luculentè ex-  
plicatum: ἔλεγχ', ἐλέγχου. Hic noster quoq; mos  
est, si quis ab altero dissentiat: alter ille κακοθείας  
καὶ βλασφημιῶν, neq; academiæ nostræ, neq; noster  
est: alienissimus ab omni philosophia, multo maximè  
à caelesti. Est enim plane barbarus & plusquàm  
Scythicus, quo qui vel delectetur, idem & gladiato-  
ribus delectatur, expers humanitatis, nec ratione  
recta præditus. Parce igitur hac in parte pecuniæ:  
quin si gratis habeas, ne tabellario ferendi, nobis le-  
gendi onus, ac ne cognoscendi quidem molestiam im-  
posueris. Hortarer etiam te, vt eiusmodi mecum  
odisses, nisi odisse te, minimè dubitarem. Non enim  
potes ea probare, cum adolescens profundas radices  
egeris modestiæ: immo te natura modestum finxit,  
in optima vitæ ratione confirmarunt litteræ. Venio  
ad petitionem tuam. Mitemus quod vis proximè:  
iam non erat in manu mea: abest, qui illud penes  
se habet. De ceteris cognosces ex aliorum litteris,  
quibus tibi quoq; puto significatum de æquali tuo  
Henrico Mensingio: erga quem vt fuerim affectus,  
haud ignoras, & recognosces ex mea ad Bersma-  
num epistola. Utinam ille nobis & bonis litteris  
fuisset superstes. Sed ita sunt res mortalium. E-  
tiam Ioannes Hobijs, iuuenis adprimè nobilis, hoc  
mense diem obiit, matri mærorem perpetuum, quæ  
illum




illum habebat vnicum huius vitæ solatium, nobis o-  
mnibus incredibile sui desiderum reliquens. neq; mi-  
rum. Iam enim pluribus sui ordinis lociq; , huma-  
nitate, comitate, & munificentia anteibat, magno  
bonis porro quoq; diu futurus præsidio, quorum te-  
nuitatem vltro subleuare iam consueuerat. neq; igi-  
tur ei elogium in perpetuum debebo. Grauius enim  
mihi peccare videar, si quem viuum ob studium ele-  
gantis doctrinæ & virtutis; hoc potissimum auaro  
seculo, rarissimæ amaucrim, eum mortuum debita ve-  
ræ laudis prædicatione, quam ipsemet ei possim  
tribuere, carere patiar. Vale. Rosto-

chio. 1d. Maijs. Anno

MD. LXXV.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly obscured by water damage.



ULB Halle 3  
002 629 992



(F) S5 JL

AB 15 44 07


VD 77



nam si ex lege hereditas: iam  
ex remissione. Abrahe autem p[er] rep[ro]m  
onem donavit d[omi]n[us]. Quid igitur leg[is]  
ter transgressionē posita est: don[ati]o  
niet sem[per] cui remissat  
p[er] anglos in manu mediatoris. s[ed]  
t[er] autē unius n[on] est d[omi]n[us] aut[em] un[us]  
est. Lex ergo adūsus p[ro]missa  
absit. Si enim data eēt lex que p[ro]m  
uificaret: uere ex lege eēt iusticia  
concluserit scriptura omnia sub pecc[ati]o  
ut p[ro]missio ex fide ih[esu] xp[isti] daretur  
dentibus. **Ex.** Respice domine in

**A**evia.

ultimus domino



IOANNIS CASELII  
AD GREGORIVM BERS  
MANVM V. CL.

EPISTOLA.

AMICORVM ITEM CAR  
MINA, MEMORIE HEN  
rici Mensingij, opt. & doctissi  
mi adolescentis.

R O S T O C H I I  
EX OFFICINA AVGVSTINI  
FERRERII.

Anno M. D. LXXX.  
Mense Aprili.